

IV

AD MVSAS

*Strophe Alcaica*

Dēscende caelō, et dīc, age, tībiā  
Rēgīna longum Calliopē melos,  
Seu vōce nunc māvīs acūtā,  
Seu fidibus citharāve Phoebī.

Audītis ? An mē lūdit amābilis  
Īnsānia ? Audīre et videor piōs  
Errāre per lūcōs, amoenae  
Quōs et aquae subeunt et aerae.

Mē fābulōsae Vulture in Āpulō,  
Altrīcis extrā līmina Pulliae,  
Lūdō fatīgātumque somnō  
Fronde novā puerum palumbēs

Tēxere ; mīrum quod foret omnibus,  
Quīcumque celsae nīdum Acherontiae,  
Saltūsque Bantīnōs, et arvom  
Pingue tenent humilis Forentī,

Vt tūtō ab ātrīs corpore vīperīs  
Dormīrem et ursīs ; ut premerer sacrā  
Laurōque collātāque myrtō,  
Nōn sine dīs animōsus ĩnfāns.

Vester, Camēnae, vester in arduōs  
Tollor Sabīnōs ; seu mihi frīgidum  
Praeneste, seu Tībur supīnum,  
Seu liquidae placuere Bāiae.

Vestrīs amīcum fontibus et chorīs  
Nōn mē Philippīs versa aciēs retrō,  
Dēvōta nōn exstinxit arbor,  
Nec Siculā Palinūrus undā.

Vtcumque mēcum vōs eritis, libēns  
Īnsānientem nāvita Bosporum  
Temptābō, et ārentēs harēnās  
Lītoris Assyriī viātor :

Vīsam Britannōs hospitibus ferōs,  
Et laetum equīnō sanguine Concanum :  
Vīsam pharetrātōs Gelōnōs  
Et Scythicum inviolātus amnem.

Vōs Caesarem altum, mīlitiā simul  
Fessās cohortēs abdidit oppidīs,  
Fīnīre quaerentem labōrēs,  
Pīeriō recreātis antrō :

Vōs lēne cōnsiljum et datis, et datō  
Gaudētis, almae. Scīmus, ut impiōs  
Tītānas immānemque turbam  
Fulmine sustulerit cadūcō,

Quī terram inertem, quī mare temperat  
Ventōsum, et urbēs, rēgnaque trīstia,  
Dīvōsque mortālēsque turmās  
Imperiō regit ūnus aequō.

Magnum illa terrōrem intulerat Iovī  
Fīdēns iuventūs, horrida bracchiīs,  
Frātrēsque tendentēs opācō  
Pēlion imposuisse Olympō.

Sed quid Typhōeus, et validus Mimās,  
Aut quid minācī Porphyriōn statū,  
Quid Rhoetus, ēvulsīsque truncīs  
Enceladus iaculātor audāx,

Contrā sonantem Palladis aegida  
Possent ruentēs ? Hinc avidus stetit  
Vulcānus ; hinc mātrōna Iūnō ; et  
Numquam umerīs positūrus arcum,

Quī rōre pūrō Castaliae lavit  
Crīnēs solūtōs, quī Lyciae tenet  
Dūmēta nātālemque silvam,  
Dēlius et Patarēus Apollō.

Vīs cōnsilī expers mōle ruit suā :  
Vim temperātam dī quoque prōvehunt  
In māius ; ĩdem odēre vīrēs  
Omne nefās animō moventēs.

Testis meārum centimanus Gyās  
Sententiārum, nōtus et integrae  
Temptātor Ōrīōn Diānae,  
Virgineā domitus sagittā.

Iniecta mōnstrīs Terra dolet suīs,  
Maeretque partūs fulmine lūridum  
Missōs ad Orcum ; nec perēdit  
Impositam celer ĩgnis Aetnam,

Incontinentis nec Tityī iecur  
Relīquit āles, nēquitiae additus  
Cūstōs ; amātōrem trecentae  
Pīrithoum cohibent catēnae.